

U. q. 17





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-628613-p0003-0

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-628613-p0004-6

DFG

is.

B7

Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM JURIDICAM

De

# TRADITIONE,

Indultu

Magnifici atq; Nobilissimi J<sup>C</sup>torum Ordinis  
Præsidente VIRO

*Magnifico, Plur. Reverendo, Nobilissimo atq; consultissimo,*

**DN. QUIRINO SCHACHERO,**

U. J. D. & P. P. Pandectarum celeberrimo, Serenil. Elect.  
Sax. ab Appellat. Consiliario gravissimo, Consistorii Elect. & Du-  
cal. ut & Facultatis Juridicæ Lips. Seniore meritissimo, &  
Capituli Numburgensis Canonico  
dignissimo &c.

Patrono, Præceptore, atq; Hospite  
æterna animi devotione colendo,

Instituer

Samuel Prasse / VVrat. Sil.

A. S. R.

Die 3. Octobr. Anno 1667.

H. L. Q. C.

Lipsie, Litteris Bauerianis.

R. D. Philippic.



VIRIS  
**MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, STRENUIS, AM-**  
**PLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,**  
**DOMINIS**

**PRÆSIDI,**  
**SENATORIBUS,**  
atq;  
**SYNDICIS,**

Inclytæ WRATISLAVIENSIMUM Reipublicæ.

PATRONIS MAXIMIS,  
PRQMOTORIBUS GRAVISSIMIS.

Hujus ipsius

*de*

**TRADITIONE**

Discursus

Dominium (ut loquuntur) PLENUM,

Qbcausas ad Translationem satis habiles,  
devota mente manuq;

*tradit,*

Insimulq;

Sub Symbolica hujus Schedulæ traditione,  
se, suaq; studia,

ACCIPIENTIUM

Voluntati, favoriq; ulteriori,  
devotissimè & sine evidione

D. D.

Samuel Prasse.



**N**on abs re est, quod ea, quæ non multum expedient, curiosè non sint inquirenda; Turpe enim est, difficiles habere nugas, & stultus labor est ineptiarum. Econtra-riò ea, quæ maximam utilitatem secum ferunt, in deli- ciis omnino habenda esse, bene dixit, quicunq; dixit. Hinc nullus mortalium, nisi omnis rationis expers nugis Gerris sicuti vanioribus de lana caprina conceptis ea, quæ vel ad æternam aut temporalem salutem spectant, postponet. Quivis multis parasangis entia reatia, entia rationis antecedere fatetur. Et quis non sua sponte calculum adjicit, scripta de civili vita atq; beatitudine alicujus Reipubl. majori in pretio habenda esse iis, quæ speculationi alicujus privati tantummodo inserviunt. Ha- rum rerum & ego non immemor, placuit in præsentiarum e- jusmodi materiam publico examini sistere, quæ ob utilitatem suam in quotidiana vita conspiciendam, fortè non indigna fuit, de ea scribendi occasionem captare. Modum illum præcipu- um, Le&tor benivole, juris Gentium dominium transferendi, TRADITIONEM sisto, qui *in l. 20. C. de pact.* non solum præ- cipuo modo transferendi dominium juris Civilis præponitur, sed etiam tantum non plerumq; ejus nominatione (non secus ac verbo stipulationis omnes obligationes) cæteræ acquisitio- num species indigitantur. Utì appareat *ex l. 27. S. 1. ff. ad Se- natus Consultum Trebellianum l. 12. S. 1. ff. de capt. & postl. re- versis l. 14. S. 1. ff. de castr. peculio. l. 14. pr. ff. de usu & habit. l. 25. S. licet. ff. de liberali causa. l. 86. S. Cum servus 2. de legatis 1. l. 12. ff. de Autoritate tutorum.* Nolo hic prolixus esse demonstrandi u- tilitates, quibus nostra traditio magno cumulo inferta est; quin potius honorando Le&tori caput penultimum infra commen- do, quod ipsi forte ansam dabit, materiae hujus nobilissimæ pa- riter ac utilissimæ fructus, redditus atq; emolumenta ulterius in- dagare. Tractabo verò hanc materiam ita, ut sex capitibus il- lam absolvam, quorum primum tūm definitionem nomina- lem, tūm realem comprehendet. Quatuor sequentia causas tra- ditionis tradent, & ultimum, quod DEus T. O. T. M. ipse finiat, subministrabit discursum, quomodo traditiones fiant. Cap.

CAP. I.

DE DEFINITIONE UTRAQVE.

*Preparatio ad equivocationem solvendam. Derivatio nostri nominis.  
Traditionis multiplex acceptio. Definitionum adductio.*

I.



Um æquivocationum neglegens in jure civili  
spissos pepererit Commentarios, non superva-  
caneum erit, ab initio hic tractare nominis no-  
stri derivationem, ejusdemq; variam significa-  
tionem. Hoc modo enim & scyllam & charyb-  
din errorum fugientes, intelligemus de qua tra-  
ditione nobis sermo sit, & quam è terminis nostris proscriba-  
mus, quamvè amplectamur.

II. Parum quidem difficultatis derivatio nostri thematis  
in se continet: Interim tamen ne videamur sicco pede eam præ-  
terire, opera pretium erit affirmare traditionem à verbo trade-  
re originem suam accipere, quod dicitur quasi trans dare,  
id est, alteri dare, & ita in legibus scriptum prodidit Festus  
**TRANSQVE DATO.** Et Actius apud Nonium veteri lectio-  
ne: **REMISQVE NIXI PROPERITER NAVEM IN FUGAM**  
**TRANSDUNT**, annotante ita Cujacio Lib. 1. observ. c. 19. n. 10.

III. Traditionis vox multipliciter sumitur: Interdum  
enim accipitur tropicè, ut in phrasí illa: lampada tradere pro  
alteri suum officium, suam stationem committere. Non raro  
pro aliqua mentis sententia, & vel obligatoria, quomodo quan-  
doq; positivæ leges eadem appellatione insigniuntur; præpri-  
mis illis, qui Romanæ fidei sunt addicti notæ sunt traditiones,  
vel probabili opinione in re controversa uti ita accipitur apud  
*Menochium L. 1. de presumt. quest. 3. n. 22. & q. 7. n. 17.* Inter-  
dum juridicum sensum obtinet, quando (i.) nudo detentatori  
restradita dicitur, uti in l. 8. ff. de peculio servo peculium à Do-  
mino

mino esse constitutum intelligitur, si ipsi tradiderit, aut, cum apud eum esset, pro tradito habuerit, aut (2.) naturali possessori arg. l. 12. in pr. de adq. vel amit. poss. Aut (3.) civili possessori, qualis est is, qui pignori rem accepit, l. 13. ff. de usurp. & usucap. Aut (4.) bonæ fidei possessori, cui beneficium usucapiendi datum, utpote emptori sive heredi emptoris, cui publicana competit actio l. 9. pr. ff. de public. in rem act. Aut (5.) tandem traditio & possessionem & dominium simul transfert. Qualis intelligitur in l. 20. C. de pact. l. 12. C. de rei vindic. l. 10. §. 1. de a.r. d. Et hæc omnium ultima nostræ inquisitioni subiecta est.

IV. Super est, ut definitiones jam adducamus. Et certum est, variè à variis nostram traditionem definiri. Sic Theophilus inquit: Traditio est de manu in manum translatio. Quā tamen ambiguam esse rectè annotavit Cujacius suprà citatolo, & ex eo Collegium Argentoratense supratit, d. a. r. d. n. 50. Cujacius verò arg. l. 3. ff. de act. empti. & vend. l. 28. ff. de verb. oblig. eam definit: quod sit datio possessionis. Nobis placet eam sic definire: Traditio est modus transferendi naturalis, quo is, qui habet potestatem & voluntatem ex causa habili rei alicujus dominium in alterum accipientem per vacuæ possessionis datio- nem transfert. Vide Collegium Argent. supra tit. de a. r. d. n. 50. LudVVel. disp. 4. 8. 10.

## CAP. II.

### DE CAUSA EFFICIENTE.

Preparatio ad tractandam causam efficientem. Origo seu causa efficiens remota traditionis probatur tūm textibus, tūm ratione. Causa efficiens proxima, qua. Quid in dante requiratur. Potestatem qui habeant alienandi. Non semper Dominus alienare potest. Quod probatur exemplo, (1.) mariti in re dotali. (2.) Pupilli in rebus propriis. (3.) Minorum. (4.) Furiosorum atq; prodigorum. Etiam is, qui utile dominium habet, potest alienare. Tales esse Emphyteutas & Vasallos probatur. Quomodo uterq; alienare possit. Possunt alienare non solum Domi-

ni veri, sed etiam vice - Domini. His sunt Vellege tales, et tra-  
tores & Curatores; Vel conventione, ut Procuratores & cre-  
ditores. Procuratorum divisio cum libera & sine libera non est  
fundata in legibus. Refutantur argumenta contrarium statu-  
entia. Quis procurator, & quales res possit alienare. Cre-  
ditor potest pignus alienare. Quomodo pignus possit distrahi, se-  
nulum sit interpositum pactum de distrahendo. Si de non alie-  
nando convencum fuerit, an & quomodo possit pignoris alienatio  
institui. Quid prater potestatem in dante amplius necessarium  
sit. Quibus qualitatibus accipiens debeat instructus esse.

I. Cum omnium rerum aliquis terminus a quo & ad quem  
sit constitutus, & viator cum sibi animo proponit ad certum lo-  
cum finem suum dirigere, necessum habeat ab aliquo loco iter  
incipere; Ita forte non tam male actum erit, si & nos ratio-  
nem habeamus termini a quo, in originem atq; causam effici-  
entem hujus nostri thematis inquirentes.

II. Et originem ex jure naturae seu gentium sumisse, non  
solum luculentum testimonium perhibet §. noster 40. Inst. de re-  
rum div. l. 9. §. 3. ff. de a. r. d. sed etiam non incongruens forte  
ratio, quæ ex l. 7. §. 1. ff. de paci. Itemq; §. 2. Inst. de jure nat.  
Gent. & civili potest desumi, in quibus textibus perhibetur,  
contraactus ferè omnes ex jure gentium descendere, traditio  
vero plororumq; contractuum aliqua pars essentialis sit, faciens ad  
consummationem; Partis vero eadem sit ratio, quæ est totius  
l. 76. de rei vindic. Manifestum etiam erit, traditionem ortum  
non secus ac ipsa causa ex jure Gentium sumere.

III. Causam efficientem proximam quod concernit, vi-  
demus in definitione duas personas utramq; paginam facere.  
Altera activa est seu DANS; Altera passiva seu ACCIPIENS.  
In persona dantis attenduntur duo; Potestas scil. rei transfe-  
rendæ & voluntas alienandi. Treut. vol. 2. disp. 20. θ. 4.

IV. Potestas vero alienandi seu tradendi penes Dominum  
est regulariter, cum secundum l. in re mandata 21. C. mand.  
quisq; rerum suarum moderator & arbiter sit. Ideo vero Domi-  
nus requiritur ad perficiendam traditionem, ut distingui possit  
hæc traditio ab illa, quæ ad usucapiendum facit. In hac enim  
posteriori traditione iste, qui tradit non debet esse Dominus;  
Quod si enim foret Dominus, tunc statim ac traditio perficere-  
tur,



tur, accipiens non bonæ fidei possessor, sed Dominus fieret, & ita Dominium non juris civilis beneficio, sed juris Gentium consecutus fuisset. Quamobrem quam eleganter quoq; *Conannus Lib. 3. Comment. c. 7.* bonæ fidei possessorem à Domino potest distinguere; Ita ut dominum tradere posse dominium affirmet, bonæ fidei vero possessorem tantum præbere. Tradere enim, inquit, præsentem actum dationis significat, præbere autem causam & materiam. Dixi verò superius, penes dominum REGULARITER esse potestatem alienandi, quia dantur casus, ubi etiam Domini cum rebus suis pro arbitrio disponere negueunt. Expediti enim juris est, maritum rei dotalis dominum esse l. 21. §. 4. ff. ad municipalem l. 7. §. fiunt de jure dot. l. 9. §. 1. ff. eod. l. 23. C. eod. arg. l. 21. ff. de manumiss. l. 3. C. de jure dot. l. doce ancillam 9. C. de rei vindic. l. 24. ff. rerum amotarum. Et inde rata deberet haberi ejus voluntas rem dotalem in alium transferre volentis per §. nostrum 40. Inst. de rerum div. & l. 9. §. 3. ff. de a. r. d. Et tamen alienationis actus in rebus dotalibus ipsi haut conceditur in pr. Inst. quibus alienare licet vel non licet. Imo quod adhuc gravius repugnat dominio, interdicta ipsi per l. unicum §. ult. C. de rei uxor. act. etiam talis traditio est, quæ neq; dominium transfert, cum Justinianus per dict. constitutio nem rem dotalem hypothecæ titulo dare alicui, minime concessum spondet; In tantum, ut etsi etiam mulier in alienationem consenserit jurato; Nihilominus tamen inefficacem ejusmodi traditionem futuram fore, cum ejusmodi juramentum, quod contra legis dispositionem est interpositum, jure civili pro nullo habeatur l. 5. C. de legib. sed hæc vera sunt de prædio inestimato. Nam præmium æstimatum maritum consentiente muliere alienare posse attestatur *Borch. in Comment. supra Inst. ad tit. quibus alienare licet vel non licet in pr. n. 4.* Pacius in sua Analyti ad inst. supra d. t. pr. Nixi l. 12. §. 3. de pactis dotalibus l. 50. ff. soluto matrim.; Hoc tamen interest, an pactum sit de re ipsa dotali restituenda, & ne tūm quidem alienandi potestatem maritus consecutus est d. l. 50. soluto matrim. Ast si non convenerit, æstimatione rei loco succedit, quam alienatare solvere oportet. l. 11. ff. de fundo dotali & optionem habet maritus ejus-  
ve he-



ve hæres, utrum rem, an estimationem reddere malit. l. 10. §. 6.  
ff. de jure dot.

V. Ejusmodi limitatam potestatem in rebus suis alienandis pupilli quoq; habent; Nam etsi sint Domini rerum sua- rum, nihil ominus tamen cum pupillus nec velle, nec nolle in ea aetate credatur l. 189. de Rego Juris. Aetas enim eorum quid videt, ignorat l. 1. C. de falsa moneta. Neq; enim talis aetatis puer scire & decernere præsumitur, cum furioso non absimilissit in l. 9. ff. de acquir. vel omitt. hereditate. Et inde liquido fluit, ineptum plane esse ad alienationis actum perficiendum §. 2. quibus alienare licet, vel non licet. §. 1. Inst. de autoritate Tutorum. Et hinc neq; venditionem celebrare potest l. 5. §. 1. ff. de autoritate tutorum l. 7. §. 1. ff. de rescindend. venditione l. 13. §. 29. ff. de actione empti & vend. Nec mutuum dare, d. §. 2. qui- bus alienare licet vel non licet. l. 3. §. 2. ff. ad. SCium. Macedonianū. l. 19. §. 1. ff. de rebus creditis. l. 9. pr. ff. de aut. tutorum. Nec ma- nu mittere d. l. 9. §. 1. nec solvere creditori suo. l. 19. de reb. cre- ditis. l. 14. §. ult. de solutionib. l. 29. de condic. indebit. Nec donare arg. l. 11. ff. de a. r. d. cum donare sit perdere l. 7. in pr. ff. de donationib. cum vero perdere sit re sua male uti, Reipub. au- tem inter sit, ne quis re sua male utatur, §. 2. Inst. ai his qui sui vel alieni juris sunt, non repudiandum erit, quod Reipub. inser- vire poterit. Quod vero dixi de pupillo, illum dominium transferre non posse, cum grano salis intelligendū est. Nec enim (1.) de omni pupillo hoc dicendum venit, sed de eo, qui minor septem annis est; Et in l. 18. C. de jure deliberandi pupillus in- fans dicitur. Huicenim nequaquam & nullo modo competit potestas alienandi §. 10. Inst. de inutilib. stipulationibus. Quod olim quoq; fuit receptum in infantia proximis; Ast cum pro- pter utilitatem eorum, benignior juris interpretatio facta sit, idem juris jam tum acceperunt, quod pubertati proximi ha- bent. d. §. 10. de inutilib. stipul. Et l. 1. §. 13. de oblig. & actionib. Nec (2.) semper pupillo alienandi potestas denegatur. Inter- positione enim autoritate tutorum gesta pupilli plenissimum robur accipiunt atq; spiritus sumunt. §. 9. Inst. de inutilib. sti- mulationib, junctal. 9. in pr. ff. de aut. tutor. l. 11. de a. r. d. Ra- tio-



tionem verò , cur pupillis non sit concessum , traditionis actum perficere , petere possumus ex toto titulo ff. de auctoritate tutorum & l. 28. ff. de pactis . Quod pupillus quidem sine tutoris auctoritate conditionem suam meliorem facere possit , absq; tutoris auctoritate , ast deteriorem reddere non aliter , quam cum tutoris auctoritate . Conditionem vero suam sinistram efficere in actibus alienationum vel ex hoc videre licet , quod substantiæ seu patrimonio pupillorum mediante alienationis negotio , aliquid individuale detrahatur .

VI. Minores quoq; rerum suarum domini sunt , sed cum inter omnes constet , fragile & infirmum hujusmodi ætatum consilium , multisq; captionibus suppositum , multorumve insidiis expositum , adolescentes in hanc usq; ætatem curatorum auxilio reguntur , nec ante rei suæ administratio ipsis conceditur , etsi bene rem suam gerentibus . l. 1. §. 3. ff. de minor. pr. In fit. de curatorib. Et hinc est , quod minor sine curatoris auctoritate in arrogationem sedare nequeat , l. 8. ff. de adopt. Et hoc ideo , quia rerum suarum dominium , in aliud transfert , quod aliter transferre non potest , quam cum auctoritate & consensu curatoris sui l. 13. §. 2. de sententiam passis . l. 3. C. de in integr. restit. minorum .

VII. Similia jura in furiosis & prodigiis statuenda sunt , l. 6. de verbor. obligat . Hi enim cum mentis compotes non sint , nihil velle scireve intelliguntur , atq; adeo nec consentire vindicantur l. 40. de reg. juris . l. 2. C. de contrah. emptione . accedit , quoq; quod cōparentur absentibus l. 124. de Reg. Juris . l. 17. §. filiofamilias II. de injuriis . l. 2. §. 3. ff. de jure Codicillorum . His vero bonis à prætore interdicendum sit l. 1. ff. de curator. furios. & aliis . Stipulari quidem sibi recte possunt , ast promittere , tradere & aliis obligari nequeunt , adeò , ut nec fidejussor pro iis intervenire possit . d. l. 6. de verbor. oblig.

VIII. Superius dixi , dominos habere potestatem de rebus disponendis . Hinc cum Dominus consideretur , 'vel ut directus , vel utilis , quæstio omnino suboriri posset , utrum etiam Vasallus atq; Emphyteuta , quorum uterq; dominium utile habet , l. 2. f. eund. t. 8. §. rei l. 12. de fundis patrimonialib , arg. l. 1.

B

Si ager



si ager vestigialis petatur, fundum feudalem, & jus Emphytenticalium pro luctu tradere possit. Quod vasallum spectat, certum est de eo, tunc demum solum feudale efficaciter tradere, si consensum domini directi, atq; concessionem alienationis ab eo impetraverit, si secus facit, ejusdem contractus, non solum ipso jure nullus est, (quia nemo potest plus juris in alium transferre, quam ipse habet l. 20. de a. r. d. l. 54. de Reg. Juris) Sed etiam si traditio accesserit, feudum in commissum cadit, atq; Vasallus jure suo proins privatur i. Feud. 5. Vide Franskii variarum resolut. Lib. 3. resolut 8. n. 1. & 2. dum. In Emphyteuta secundum l. ult. C. de jure Emphytenticario distinguendum erit: Aut enim in Emphytentico instrumento pactiones aliquæ de alienatione fuerunt adjectæ, & illæ sunt observandæ: aut nullæ adsunt, vel instrumentum deperditum est, & sic denunciare Emphyteuta debet alienationem. Quod si Dominus tantam præstare vult quantitatem, quantam Emphyteuta revera ab alio accipere potest, omnino ejusmodi prædium Domino directo acquiritur. Si duorum mensium spatum fuerit emensum, & Dominus hoc facere noluerit, licentia Emphyteutæ datur, ubi voluerit, & sine consensu Domini meliorationes suas vendere, constitente ita d. l. 3. C. de jure Emphytentic.

IX. Vidimus Dominos, qui principaliter atq; primarij jus distrahendi habent, videamus ergo quoq; vice-dominos, quibus potestas tradendi vel à LEGE, vel à CONVENTIONE data est. Treut. vol. 2. disp. 20. th. 4. l. B. ait: Potestatem à legge consequuntur tutores & curatores l. 56. §. 4. ff. de furtis. l. 157. in princ. ff. de Regalis Juris. Horum officium cum non solum consistat in persona pupilli rectè educanda, alimentis congruè decernendis, auctoritate in contractibus, omnibusq; negotiis, unde damnum pupillo oriri posfit, præstanta; Sed etiam in erogando. l. 3. C. de administ. tutor. & alienando. l. 12. §. 1. ff. de administ. tut. arg. l. 8. pr. de reb. eor. qui substituta vel cura sunt. l. 17. §. 2. ff. de jure jurando. Hinc certi atq; indubitati juris est, ex d. l. 56. ff. de furtis illum dominium traditione loco pupilli transferre posse. Non tamen omni titulo tutores atq; curatores res pupilli tradere posunt. Nam nisi  
res



res administrationis causâ distractæ fuerint, possidentibus justam causam præbere nequeunt. Et hinc donationem de bonis pupilli facere non possunt. *l. 16. C. de administr. Tutor. vel curat.* Excipiuntur tamen aliqui calus, ut si parentibus cognatisq; solennia munera concedat, *l. 12. §. 3. ff. de administr. Tut.* Porro quoq; interest, utrum tutor vel curator res mobiles an immobiles tradere velit, nam non solum res immobiles, sed etiam mobiles pretiosiores traditionem non recipere manifestum est, *ex l. 22. C. de administr. & peric. tutor.* Quæ tamen prohibitio limitatur decreto iudicis interposito. Quod verò res mobiles, quæ servando servari nequeunt, quales sunt secundum legem ultimam, *§. 2. d. t.* Fructus, qui ex redditibus prædiorum colliguntur, aut qui ex substantia perlonarum, quarum gubernationem habent, inventi fuerint, ut sunt: Vinum, oleum, frumentum cujuscunq; generis, attinet; etiam sine decreto iudicis justo pretio distrahi non prohibentur.

X. Transeamus nunc ad vice-Dominos conventione tales, quorum duo sunt genera, alterum procuratoris, alterum creditoris nomine insignitur. Hic quidam inter procuratores distinguendum esse putant, & præprimis discrimin faciunt inter procuratorem univerlorum bonorum cum libera, & sine libera. Assertionem hanc fovet non solum Gothofredus *ad l. 9. de a. r. d.* Sed etiam Wesenbec. *supra tit. de procurat. n. 3.* Antonius Pcretz. *C. eodem, n. 19.* ut & Wilenbach. *disp. 12. th. 10.* Struvius exercit. *7. th. 25.* Schnobel. *disp. 3. θ. 13.* Textus pro sententia stabilenda allegant sequentes: *l. 60. de procurat. l. 9. §. 4. de a. r. d. §. nihil 43. Inst. de rer. div. l. 58. ff. de procurat. l. 63. ff. eod. l. si liberam 10. C. quod cum eo, qui in aliena potestate est.* In quibus textibus mentio fit procuratoris cum libera, & inde concludunt: *Quod si datur procurator cum libera, omnino dabitur etiam procurator sine libera.* Priori facultatem concedunt alienandis res quasvis, ut possit ea facere, quæ Dominus faciat per *l. 58. ff. de procurat.* Posteriori verò restrictam plane atq; limitatam potestatem in alienandis rebus concedunt, dum fructus tantummodo & tales res, quæ servando servari nequeunt, in aliud transferre possit per *l. 63. ff. de procurat.* Ast ante-

quam meam declarem sententiam, lubet prius hanc divisionem paulò accuratius examinare, illorumq; argumenta, quæ pro hac distinctione à dictis Auctoribus proponuntur, & ab Hunnio præprimis longa serie deducuntur, trutina mentis ponderare; Quo facto eo felicior fortassis ero in decisione sententia, (ut italoquar) definitivæ. Argumentum vero ipsorum principale jam supra adductum, à compilatore Collegii Argentoratensis *supra hunc. t. n. 10.* fatis superq; fuisse refutatum, existimo, cum asserat, istud vocabulum cum libera, non esse adjectum ad distinctionem novam constituendam, sed ad naturam potius absconditam hujus procuratoris generalis explicandam. Unum enim idemq; sunt, procurator totorum seu omnium bonorum *l. 36. de procuratorib. omnium rerum l. 1. §. 1. ff. de pact. universorum bonorum l. 3. § 2. judicatum solvi.* Cui omnium negotiorum administratio data est, *l. 12. pr. de solut.* Et procurator, cui libera universorum negotiorum administratio commissa est. *§. 43. Inst. de rer. div. d. l. 9. §. 1. de a. r. d.* Quod vel ex hoc argumento patet, dum is, qui alias dicitur procurator, cui generaliter libera administratio commissa est, ut in *d. l. 58. in l. 87. de solutionib.* simpliciter dicatur procurator omnium rerum. Sed plura vide apud Hugonem Donellum. Hubert. Giphanium, compilatorem Colleg. Argent. d. t. Hac ergò explosa distinctione, facile ex *l. 17. ff. de jure jasando* patet quis procuratorum & quomodo res principalis sui alienare possit.

XI. Creditori quoq; potestas alienandi conceditur non solum conventione de alienando facta *§. 1. Inst. quib⁹ alienare licet vel non.* Sed etiam nulla prorsus conventione interveniente *l. 12. §. final. ff. qui potiores in pignore habeantur.* veletiam conventione de non alienando interveniente *l. 4. de pignorat. aet.* Interim tamen diversa plane ratio intercedit quoad causas quæ creditori tantam tradendi potestatem tribuunt. Priori enim casu consequitur jus distrahendi vi conventionis, quæ inter debitorem & creditorem intercessit, dum contractus pignoratius celebraretur; Posterioribus verò modis lex facit, quo creditor pignore vendendo jus suum exequatur, loquente ital. *7. §. 1. ff. de*



ff. de rebus eorum, qui sub tutela vel cura sunt. Retinet vero  
Creditor in omnibus tribus casibus potestatem alienandi, illud  
tamen omnino ab eo attendendum est, ne putet simpliciter ipsi  
esse concessam alienationem; Si enim conventum est de di-  
strahendo pignore, ita alienandi potestatem consequitur, ut se-  
cundum pacti tenorem alienet. l. 3. §. 1. de jure dominii impe-  
trandi. l. 7. C. de distract. pignorum. Si nihil conventum est de  
pignore distrahendo, admonitio tum legis 4. C. de di-  
stract. pignorum, tum l. 3. §. 1. de jure dominii impetrandi obli-  
vanda erit. Nam primum requiritur, ut debitor moram in  
solvendo faciat l. 7. l. 13. C. de distract. pig. Deinde, ut denun-  
ciet debitori distractionem. Denunciatione facta, quæ testatò  
fieri debet, prorsus, adhibenda est publica subasta, & ita  
demum bona fide & solenniter res distrahatur, l. 4. si. vendito  
pignore agatur, l. 7. § 9. C. d. t. Bona fides vero conspicitur, si  
res justo pretio vendatur l. 3. C. si vendito pignor. arg. l. 14. ff. de  
pignoratit. aet. Item si nulla fraudulentia intercesserit, l. 7. d.  
¶ Neq; simulatio venditionis l. 10. C. de distract. pignor. So-  
lennitatem conspicimus, si creditor a denunciatione debitori  
facta, biennium expectet, usq; dum vendat, l. 3. §. 1. v. sin autem  
C. de jure dom. impetrandi. Contratiam quidem sententiam te-  
net ex Donello Treutlerus & cum eo Antonius Peretz supra tit.  
C. de jure dom. impetrandi, n. 5. Ubi perhibet §. 1. v. Sin au-  
tem l. 3. non esse intelligendum quasi venditio intra biennium  
eiusmodi pignoris fieri non possit, sed saltem illum loqui de ju-  
re dominii impetrando, quod illi non citius postulatio domi-  
nii concessa sit, quam biennio elapso. Et hoc quidem proba-  
re ex inde contendit Donellus, quod Justinianus in principio  
illius legis & sequenti § agat de eo creditore, qui jus dominii  
impetrare vult. Cum vero jure nostro ita comparatum sit, ut  
responso generali ad interrogatum referri debeat; Hinc non  
amplius quisquam respondisse intelligitur, quam de quo inter-  
rogatus fuit, §. præterea 5. Inst. de inutilib. stipulationib. Ast hanc  
sententiam Donelli lubrico fundamento niti, nullum est dubiu-  
m; Cum non raro hoc legum latoribus usitatissimum sit, ut  
quando actum aliquem plenius describere volunt, tam ante

cedentia, quam concomitantia simul adjiciant, uti etiam hic factum est, nam rem oppignoratam per biennium apud se habere debere venalem, aliquod antecedens necessarium esse ad impetrationem dominii, sole meridiano clarius apparet in §.2. d.l.3. de jure dom. impetr. quando ejusmodi inveniuntur verba: Sin verò nemo est, qui comparare eam (sicilicet in isto spatio biennii) maluerit, & necessarium fiat creditori, saltem sibi eam jure dominii possidere &c. Reliqui argumenta Donelli explicata atq; resoluta vide apud Helfric. Ulric. Hunnum *supra Treutleri Vol. 2. disp. 1. th. 7. l. A. qu. 49.* Cæterum si de non alienando convenerit, varias hinc inde animadvertisimus opiniones. Nam alii prorsus creditores propter pactum adjectum à jure alienationis arcent, *nixi l. 7. C. de distract. pignorum.* Ubi diserte contractum exemptionis & venditionis rei oppignoratae valere debere Gordianus ait, nisi reluetur lex contractus seu pactum, quod informat conventionem pignoratitiam. Huic legi accedit, quod pacta sanctè sint servanda *l. 1. ff. de pactis,* & grave sit fidem fallere. *l. 1. ff. de constit. pecunia.* Porro quoq; Creditoris duntaxat causâ pactum hoc constituitur, quod in tertii præjudicium non vergit. Jam vero unusquisq; ejusmodi individuali favori pro se tantummodo introducto renunciare potest, uti constat *ex l. penult. C. de pactis.* Sed contraria sententia clarioribus fundamentis nititur, & probatur illa *ex l. 4. & 5. ff. de pignoratitia actione.* Quod vero *l. 7.* concernit, non adeò contrarium perhibet, si non illepidam Perezii respcionem, quæ limitatione constat, adducta in Commentario *supra C. t. de distr. pign. n. 3.* huic addiderimus. Ait enim: Ejusmodi pacto ne liceat pignus distrahi, hanc inesse conditionem: Modo debitor solvat, quod debet. Igitur si moram faciat non secus ac in causa pacti non adiecti, creditor jus suum persequi poterit. Neq; enim creditor beneficio suo potest renunciare, sed si tale pactum adjectum fuerit, ab initio statim vitiosum est, cum naturam atq; essentiam contractus realis & fundamenti extirpet, & inde ex post facto convalescere nequit, *l. 29. de Reg. Juris.* Præprimis cum accessorium non possit subsistere sine suo principali, & ex conventiones quoq;



quoq; quæ contra legis nituntur voluntatem, inutiles sint & pro infectis habeantur per l.s. C. de leg. junctal. 72. ff. de contra-  
henda emptione.

XII. Præter potestatem in dante quoq; requiritur volun-  
tas, quæ in duobus potissimum conspicitur (1) ut sciat, rem;  
quam tradit, suam esse, l. 3. s. 8. de condic. causa data, causa  
non sec. In aliena etenim re traditionem exercere nequit; quia  
traditio nihil amplius transferre debet vel potest ad eum qui  
acepit, quam est apud eum, qui tradit. Quare si quis dominium  
in fundo non habuit, ad eum qui accipit nihil transfert l.  
20. de a. r. d. (2.) Ut habeat voluntatē tradendi, quæ conspicitur,  
si consentiat in corpus transferendum l. 36. de a. r. d. Quamobrē  
errans in corpore dominium transtulisse nō intelligitur, quoniā  
consensui, qui ex voluntate dependet nihil magis contrarium  
est, quam error. l. 15. ff. de juris dict.

XIII. In accipiente eadem qualitates ac in dante requi-  
runtur. Nam & potestas accipiendi & etiam voluntas sibi ha-  
bendi adesse debet. Bachovius ad Treutl. vol. 2. disp. 20. θ. 4. l. E.  
Ac potestatem accipiendi non solum Domini, sed etiam ii, quos  
habent in potestate, puta liberi, servi tam proprii, quam usufru-  
ctuarii habere intelliguntur; non tamen animo & affectione si-  
bi habendi, sed intuitu Domini, pr. Inst. per quas personas cuiq;  
acquiritur. Et non solum per eos, quos habemus in potesta-  
te, sed etiam per extraneam personam accipere possumus §. 5.  
Inst. d. t. Tales sunt Procuratores, l. 1. §. 20. de acq. poss. l. 24. ff.  
§ l. 1. & 8. C. d. t. l. 1. junctal. 20. §. 2. de a. r. d. Sic tutores quoq;  
atq; curatores tales potestatem accipiendi nomine pupilli ha-  
bere intelliguntur l. 1. §. 20. de acqu. vel amit. poss. Et volun-  
tas quoq; in accipiente desideratur, ut non solum consentiat  
in corpus tradendum, sed etiam ut velit rem quæ traditur in  
patrimonio sua habere. Nam alias dominium invito obtrude-  
retur quod impingit contra l. 69 de Reg. Juris.

### CAP. III.

## DE MATERIA.

Quæ res possideri possint. Num incorporalium rerum detur possessio.  
Stipendiaria & tributaria pradia quid sint. Qualitas & acci-  
dens



dens inseparabile rei tradenda exponitur. Argumenta pro non  
vacua possessione tradenda. Eorumq; resolutiones adjecta.  
Fundamenta pro vacua possessionis traditione.

I. Bono ordine ad materiam traditionum nos conferimus, visuri, quæ res traditionem in se recipiant, & certum est, tām res corporales, quam incorporales posse tradi; Licet posterū impropria tantūmodo sit traditio. Nam propriam traditionem incorporalia entia non recipere manifestum est *ex l. 43. §. 1. de a. r. d.* Cum per patientiam promoteatur illarum traditio *l. 11. §. 1. ff. de public. in rem act. l. 3. pr. ff. de usu fructu §. finali Inst. de servitutib. prædiorum urbanor. & rusticor. l. 16. ff. Communia prædiorum.*

II. Sunt tamen etiam res, quæ traditionem non admittunt, quarum traditio vel naturā, vel lege, vel ab homine prohibetur. Sic naturæ contrarium est, liberum hominem traditioni subjicere *l. 83. §. 5. ff. de verbor. obligationib. l. 30. §. 1. l. 23. §. 2. ff. de acq. vel. amitt. poss.* Ita quoq; res sacræ, sanctæ & religiosæ traditionem effugient, arg. *l. 22. ff. de contrah. empt. l. 84. §. 1. eod. §. 2. Inst. de inutilib. stipui. §. 8. Inst. derer. div.* Porro quoq; Res publicæ atq; communes aptæ natæ haud sunt recipiendi alienationem, *l. 6. pr. de contrah. empt.* Propter legis prohibitionem alienari nequeunt res ad bona Ecclesiæ patrimonialia pertinentes *Novel. 120. Nov. 7. cap. 5. cap. nulli & tototit, juxta de rebus Ecclesiæ alie. & t. t. eod. in 6to.* Item jus Patronatus personæ adhærens, quia est spirituali annexum *c. de jure 16. de jure Patronatus*, nisi consentiat Episcopus *cap. ex literis. c. cum seculum 13. de jure Patr.* aut Clerico vendatur *d. textib.* Res dotales inæstimatæ *l. 2. l. 4. l. 13. ff. defundo dotali. l. 42. ff. de usucap.* Emphyteusis citra consensum Domini *l. 3. C. de jure Emphyteus.* Res litigiosæ, *l. fin. C. de litig. l. 1. §. quid ergo ff. quæ res pignori data.* Item alienæ *l. 1. §. 34. de rer. permut.* atq; incertæ *l. 26. ff. de acquir. vel amitt. poss.* Olim etiam provincialia vel tributaria aut stipendiaria prædia non poterant alienari, cum eorum dominium non erat penes illos, qui possidebant, ast cum hodie per *l. unic. in fine, C. de usucap.* transfert. differentia inter Italica & provincialia prædia officium suum perdiderit, prohibitio de



de non alienando quoq; sublata esse intelligitur. Ab homine prohibentur res fidei commissio subjecta tradi, ita, ut penes familiam maneant, l. fin. §. Sed quia 2. §. anth. res quae C. communia de Legatis.

III. Sistit se rei tradendæ accidens inseparabile, quod in eo situm est, ut restradenda vacua sit à possessione. Contrariam quidem sententiam non incelebres juris sectatores amplexi sunt; Interquos non solum Donellus 4to Comment. 19 Philip. Mat. ad l. 11. ff. de reg. Juris Petrus Gilken. ad l. 12 C. de probat. Mynstner in Comment. supra §. 40. Inst. de rer. div. n. 8. Sed etiam Bartolus, Baldus & alii plurimi hanc sententiam tulentur. Et Donellus quidem non solum negat necessitatem vacuae possessionis in tradendo, sed etiam nullam plane possessionis traditionem in dominio transferendo requiri contendit. Cum posterioris controversiae lis à Bachovio sopia sit, prioris litigii fundamenta hic tantummodo recensemus. Allegant vero stabiliendæ sententiæ causa (1.) l. 14. pr. ff. quæ in fraudem creditorum, ubi dominia per actionem in factum illorum bonorum, quoram in possessionem missi sunt creditores in fraudem verò creditorum sunt alienata revocantur. Et hinc ex l. 2. § 1. ff. de actionib. empti perhibent, debitorem non habere facultatem tradendi vacuam possessionem. Negant hic plurimi, d. l. 14. loqui de illis bonis, in quorum possessionem missi sunt creditores & ex propria domo Donellum refutare contendunt, qui statuit, vi legis 17. ff. quæ in fraudem creditorum, quod hæc actio non solum competit de rebus in fraudem creditorum alienatis, quando bona à creditoribus possessa sunt, sed etiam, quando possessa non sunt Bachovius verò in notis ad Trent. vol. 2. disp. 20. th. 4. l. D. verbo. de vacuae possessionis. distinguit inter creditores in possessionem rerum debitoris missos ex primo & ex secundo decreto, ubi inquit: Si ex primo decreto missio in bona facta est, non impeditur translatio dominii, licet res negotiatur vacua in d. l. 2. § 1. de actionib. empti. Nam non ita absoluētè res alienata non vacua à possessione dicitur, sed tantummodo secundum quid, ita, ut hæc vocabulum possessio nihil aliud denotet, quam nudam detentionem, l. 5. in principio ff. ut

C

in



in possessionem legator. vel fidei commiss. l. 3. §. 23. & ult. de acqr.  
vel amitt. poss. Et sensus istius legis sit, quod à custodia seu  
detentione bona debitoris vacua non sint. Non opus verò  
est, ut restradenda vacua sit ab omni detentione, seu, ut loqui-  
tur Bachovius ab omni simplici naturali posessione. Vol. 2.  
disp. 21. θ. 1. L. F. in medio cum ejusmodi detentores non ipsi,  
sed pro alio tantummodo possideant; Illi verò, qui pro alio  
possident in l. 18. in pr. ff. de acquirend. vel amitt. poss. §. 5. Inst.  
de Interdictis negantur possidere. (2.) argumentum ex §. n. 40.  
l. 20. C. de pactis, & l. 31. ff. de a. r. d. trahunt. Quod in illis lo-  
cis & aliis etiam, in quibus de dominio per traditionem trans-  
ferendo agatur, præter traditionem ac voluntatem Domini  
rem suam transferre volentis, & justam causam, ex qua fiat  
traditio, nihil amplius requiratur. Ast cum ipsa traditione  
contineatur vacua possessionis translatio, ut ex l. 2. §. 1. de actio-  
nib. empt. videre est, liquet, rem tradere idem esse, quod vacuam  
possessionem tradere. Non enim infrequens est in jure no-  
stro, ut, quod in una lege omissum est, id ex alia lege supplea-  
tur. Et licet in jam nominatis textibus nulla mentio expressa  
de vacua possessione fiat, interim tamen cum lex 12. C. de pro-  
bat. l. 8. C. de actionib. empti & l. 13. C. de distract. pignorum va-  
cuam possessionem ad dominium traditione transferendum  
disertè requirant, ita quidem: ut aliter non possit dominium  
transferri, nisi vacua simul possessione tradita; Hinc dicen-  
dum erit, objectos textus intrinsecè affirmare: Vacuam  
possessionem in traditione recte perficienda, tam necessariam  
esse, quam navi prora & puppis. Et hinc explicandi, interpre-  
tandi atq; supplendi oppositi textus ex nostris perspicuis jam  
allatis, veniunt. (3.) urgent præprimis l. 16. ff. de fundo dotali, in  
qua fundus, quem Titius possidebat, & inde ejusdem posses-  
sio vacua non erat, à muliere marito propter dotem erat datus,  
& ita hujus fundi Dominus effectus, cum dare sit dominium  
transferre l. 75. §. 10. de verb. oblig. l. 167. de Reg. Juris. Ad istud  
argumentum Bachovius ex Concio hanc suppeditat responsio-  
nem, quod hic fundus in dotem datus non dicatur, quod tra-  
ditus sit, sed doti tantummodo destinatus, seu instrumento do-  
tali

LIBERIS CIVITATIBUS MICHAELI



tali promissus, quomodo hæc phrasis in dotem dare etiam invenitur in l. 14. cum l. seq. de jure dotum. Et tamen eo ipso non denotatur dominii translatio, facta per traditionem, sed tantum obligatio rei dotalis in instrumento expressa. Nec obstat, quod marito concedatur rei vindicatio, quæ tantummodo Dominis datur; hic enim maritus aliquo singulari gaudet privilegio; præsumitur enim in casu proposito ab uxore actionem esse cessam. Et licet cessionis in d. l. 16, nullamentio fiat, interim tamen, cum olim admodum solenne & assiduum fuerit, ut mulier actionem & nomen in dotem daret, uti constat ex l. nuptura 59. l. cum post 69. s. 1. l. mulier bona 72. de jure dotum. Idcirco veritati non absimile quoq; erit, idem in dict. l. 16. à muliere fuisse factum. Plura, quæ sententiæ nostræ obvare videntur, vide in notis Bachovii ad Treut. vol. 2. disp. 20. th. 4. Lit. D. Fundamenta vero nostræ sententiæ, quam etiam fovet Ludvvel. in dissert. 4. th. II. l. a. Schnobel. disp. 20. th. 15. Strauch. dissert. 6. th. 37. &c. ut plurimum in eo posita sunt, quod in l. 8. C. de action. empt. Imperatores Diocletianus & Maximinus expresse rescribunt: Si Pater tuus vendidit portionem suam, nec induxit in vacuam possessionem prædii, jus omne penes eum retinuisse certum est. Quod etiam affirmat. l. 12. C. de probat. ubi ad probationem dominii acquisiti dicti imperatores requirunt, ut doceatur emptionem esse factam, numeratum esse pretium, & emptorem in vacuam possessionem esse inductum. Plurimum etiam hic facit contra Donellum. l. 18. ff. de vi armata, ubi emptor in vacuam possessionem à venditore ire iuslus, dominium tamen acquirere non potest, sicolonus fundi venditi eum non admittat, cum tamen ex sententia Donelli præcedente voluntate vendoris, quævis apprehensio, etiam clanculum facta ad acquirendum dominium sufficiat. Rursus quoq; contra Donellum militat l. 1. in pr. ff. de acquir. poss. ubi dicitur, quod mediante naturali possessione acquiratur dominium, jam verò certum est, quod possessio naturalis penes duos esse non possit l. 3. s. 5. ff. de acquir. poss. Contra naturam enim est, ut cum ego aliquid teneam, tu quoq; id tenere videaris d. l. 3. Ergo res aliqua uni-

cum debet habere possessorem, duos vero haberet, si res sine vacua possessione traderetur.

CAP. IV.

DE

FORMA TRADITIONIS.

*Præparatio ad tractationem. Forma accidentalis traditionis. Forma substantialis traditionis quæ. Causa habilis ad transferendum dominium quæ sit & quomodo differat à modo. Recensentur illæ causa. Adjiciuntur quadam causa, quæ non transferunt dominium. An error causa vitiet traditionis actum..*

I. Transeamus nunc ad causam formalem, quæ cum omnium nobilissima sit, quippe cum det esse & operari, det quoq; distingui, his in pagellis ostendemus, qua ratione etiam propositæ nostræ materiæ lucem & vitam præbeat.

II. In Scholis Philosophorum scimus eam distingui in externam & internam, seu in substantialem & accidentalem. Utramq; in nostra materia traditionis ad ungvem demonstrare possumus. Accidentalem quidem, quæ consistit in datione & apprehensione rei tradendæ. Cū enim ejusmodi corporalis datio à dante nō semper requiratur, uti id compertū habemus in traditionibus quæ brevi manu fiunt. Interdum enim, inquit Imperator, in §. 44. Inst. de rer. div. sine traditione nuda voluntas Domini sufficit ad rem transferendam, veluti, si rem, quam tibi aliquis commodaverit, aut locaverit, aut apud te deposuerit, postea aut vendiderit tibi, aut donaverit, aut dotis nomine dederit. Idem affirmatur in l. 9. §. 5. de a. r. d. Et l. 21. §. 1. ff. d. t. inquit: Si rem meam possideas, & eam velim tuam esse, fiet tua, quamvis possessio apud me non fuerit. Hinc liquet, corporalem istum actum accidentalem modo efficere formam traditionis. Videamus ergo, in quo forma substantialis traditionum sita sit.

III. Et sita est in causa habili ad transferendum dominium. l. 31. de a. r. d. §. 41. Inst. de rerum div. Hæc non secus ac in emptione & venditione, consensus merx & pretium l. 1. & 2. de contrah. empt. In donatione ultra 500. solidos facta judicialis in finatio; l. 36. §. 3. C. de donat. Ita in traditione causa habilis utrāq; paginam



paginam facit, ita quidem, ut traditio sine illa consistere haut possit. Et licet in l. 20. C. de pactis simpliciter dicatur, traditionibus & usucaptionibus dominia rerum transferuntur non nudis pactis, causa verò ejusmodi, quæ anima traditionis est, pactorum nomine contineatur l. 7. ff. de pactis. Nihilominus communis Dd. opinio est, hanc leg. 20. esse supplendam ex l. 31. de a. r. d. Ubi statuitur, quod nemo nudis traditionibus dominium acquirere possit. Sensus ergo erit utriusq; legis: Nudum pactū non transfert dominium, neq; nuda traditio, sed necesse est, & pactum, & traditionem concurrere, si effectum aliquem exhibere debent.

IV. Cæterum cum diximus, causam habilem desiderari in legitima traditione, omnino quis querere posset, quæ illa causa habilis sit? Et Treutlerus Vol. 2. disp. 20. th. 2. l. a. illam describit, quod sit præparatio constituendi & acquirendi dominii, & differat à modo ut antecedens & consequens. Quod tamen, ut notavit Bachov. supra d. loc. Treut. tantummodo in modo juris Gentium traditionis obtinere dicit. Nam, inquit, in reliquis acquirendi modis, causa & modus ipse distingui commodè non potest, cum simul sint, & ipsis acquirendi modis causa innexa atq; implicata sit. Ut verò Treutler. in omni acquisitionis modo causas expressas statuit, ita Vultejum in sua juris prudentia Romana. Lib. 1. c. 69. §. finali eas fere negligisse videmus, cum suadet, quo causarum appellatione abstineamus, cum revera nihil aliud, quam modi ipsi sint. Ast cum in materia traditionis non ut modi considerentur, sed lex ipsa causas eas appellaverit, incivile foret, aliquid contra legem loqui, l. 5. C. de legib.

V. Quæ verò sint illæ causæ, quæ aptæ natæ sunt ad transferendum dominium, videmus in §. 40. & 41. Inst. de a. r. d. Plures tamen invenimus in l. 2. 3. 4. 5. 6. 7. de publiciana in rem actione, itemq; in l. 47. §. ult. ff. de peculio. l. 46. ff. de usucaptionib. & usurpationib. Causarum verò minus aptarum imperator etiam nō oblitus est, sed in §. 44. Inst. de rerum div. commemoravit. Sunt verò Commodatum l. 17. §. 3. l. 8. Commod. Pignus. l. 1. ff. de pignorat. aet. Depositum §. 3. Inst. quibus modis re contrahitur obligatio.

illam enim traditionem, quæ fit à commodatore, vel à debito-  
re aut deponente effectus nostræ traditionis non subsequitur.  
Sed transfertur vel usus, vel securitas, vel custodia; Possessio-  
nem enim & dominium rei commodatæ, oppignoratæ & depo-  
sitæ retinemus. *l. 8. Commodati.*

VI. Illud hie non negligendum erit, disquirere, cur in  
emptione & venditione causa juncta traditione, non transferat  
dominium in emptorem, nisi venditori pretium solverit vel alio  
modo satisfecerit, veluti ex-promissore aut pignore dato. Nam  
quod non transeat in hoc casu dominium, non solum appareat  
*ex s. 41. Inst. b. t.* Sed etiam vel exinde, quod venditor, si pretio  
nondum soluto aut alio modo satis facto rem tradiderit empto-  
ri, vindicare rursus possit, vel si nondum tradiderit, quasi pi-  
gnus retinere, donec emptor totum pretium solvat, *l. 13. S. of-*  
*ferri. 8. ff. de actionib. empti.* Et rationem duplicem interpre-  
tes hic ponunt: (1.) quidem, quod ea mens vendentium sit,  
ut pro merce statim pretium accipiant, nemo quippe suum ja-  
ctare creditur, *l. cum de indebito 25. in pr. versu, sin vero, de*  
*probat.* (2.) Quia plerumq; commercia impedirentur si non  
protinus venditori, qui causa pretii statim accipiendi rem suam  
vendidit, satisficeret. Videatur *Henonius Lib. 1. diff. Jurid. diff.*  
*4. th. 25.*

VII. Dixi superius, causam debere intervenire, ut tradi-  
tio effectum suum sortiatur. Hinc non admodum incongruè à  
qui busdam interrogatum fuit, an etiam plures diversæ Causæ  
circa unam traditionem occupatæ possint esse. Et hie non sicut  
æqualis sententia inter Dd. Nos hanc controversiam tractan-  
tes, statim distinguimus inter causas, & uti certum est, in illa tra-  
ditione, quæ unicam causam præcedentem habet, talem requiri  
quæ in se qualitatem dominii transferendi habet: Ita quoq; in  
hoc casu præsupponimus, vitiosam traditionem futuram fore,  
si vel alterutra causa tantummodo qualitate dominium trans-  
ferendi destituta sit. Ita si ego quasi deponens tibi dedero, &  
si tu quasi mutuum accipias, non transfertur dominium, quia  
depositum sua natura imbecillis quædam causa est transferendi  
dominium *l. 18. §. 1. dreb. cred. l. 55. ff de oblig. & act.* Quid si  
vero



vero utraq; causa præbeat mihi effectum dominii, & hic scrupulus latitat. Pro negativa sententia facit l. cit. 18. §. 1. de reb. cred. Affirmativam vero sententiam tuetur l. 36 de a. r. d. Cui & ego calculum meum adjicio insistens resolutionibus contrarii textūs à summis Jctis expositis. Verba enim MAGISQVE NUMMOS ACCIPIENTIS NON FIERI limitant vocabulo PERFECTE seu PROPRIE. Quæ tamen limitatio non omnibus ad salivam est. Ex ipsa enim lege argumentantur, quod ejusmodi traditio defectum tituli sentiat, quem ex disensu & errore contrahentium judicant. Cum verò in proposito sit, sine titulo ipsius quoq; traditionis vim exprimere hinc statuunt, dici non posse, rem alicujus non fieri vel perfecte vel imperfæcione, vel proprie vel impropre. Postea quoq; exinde collidunt, dominium neq; imperfectè transisse, cum per conditionem repeti possint CONSUMTI nummi. Ergo inquit Extantibus illis dabitur rei vindicatio, & per consequentiam nummorum dominium in alterum non est translatum, cum secundum l. 23. ff. de rei vindic. rei vindicatio Domino detur adversus quemcunq; possessorem. Deinde quoq; affirmant, hanc locutionem alicujus non fieri PERFECTE, nullibi in legibus existere, quapropter quoq; textum in l. 38. §. 3. ff. de solution. nihil ad rhombū facere putant, cum alio plane intellectu phrasiology ista ibid. apposita fuerit. Etsi vero hæc argumenta admodum plausibilia sint, & non parū splendoris præferant, nihilominus tamen hanc resolutionem per istam limitationem huic textui apprimè applicari posse totus statuo. Neq; enim omnis titulus hic abest, prodit enim se putatus, qui certe sufficiens satis est ad transferendum dominium. Argumento est id, quod per errorē tanquam debitum solvit. Nam etsi in indebito soluto verum fundamentum tituli non adsit, nihilominus tamen transfertur dominium. Neq; argumentum alterum ex d. l. 18. desumptum sufficit ad convincendū. Non enim statim sequitur, si consumptis nummis conditione locum habet, extantib⁹ illis non condicendi erunt, sed vindicandi, cum certum sit, quod etiam species veniant in conditionem, uti patet ex l. 11. ff. de condit. causa data, causa non secuta. Quod rejectionem tandem attinet illius textus, qui hanc locutionem:

Alicu-



Alicujus non fieri perfecte, in legib. esse fundatam comprobavit; Non video, quomodo hic sufficere possit responso data: Alio nemp̄ intellectu hanc phrasilogiam ibidem esse apposita, nam in utrāq; lege de eodem effectu agitur sc. de translatione dominii, & quæstio quidem proponitur in d. l. 38. §. 3. ff. de solution. Utrum perfecte servus solutus accipientis factus fuerit nec ne? Et cum responsum fuerit, servum accipientis non fieri perfecte, utiq; etiam non incongruum erit dicere: Nummos accipientis non fieri perfecte. Et hæc de causa formalí, sequitur.

CAP. V.

DE CAUSA FINALI.

*Causa finalis remota & propinqua. Traditio non nudam possessionem pro fine habet; sed conjunctam cum dominio. Quævis species dominii finis traditionis esse potest.*

I. Ut in omnibus civilibus actionibus salus publica supermalex debet esse l. quod semel s. decret. ab ordine faciend. Ita quoq; dominiorum permutationes, quæ beneficio modorum acquirendi existunt, non parum emolumenti Rebus pub. afferunt. Sic enim usucapio bono publico introducta est, l. i. ff. de usurp. & usucap. Et quis dubitabit, traditiones Rebus - pub. minora commoda apportare. Ut enim usucapio ex potestate juris civilis dominia transfert, ita tradentibus jus gentium ejusmodi destinavit finem, ut vi illius ea, quæ per usucaptionem obtineri possint.

II. Quod verò dixi, per traditionem transferri dominia, & hinc pro fine ultimo translationem dominiorum agnoscere, hanc ob causam dixi, ut null⁹ putet, pro fine habere possessionis translationē. Et si enim dominia rerum per naturalem possessionem cœperunt l. i. §. 1. ff. de acquir. poss. Nihilominus tamen tantum abest, ut traditionis finis ultimus sit acquisitionis possessionis tantum, tunc traditio nō ampli⁹ est modus acquirēdi dominiū. Quare omnis illa traditio, quæ vel possessionē naturalē tantum, vel civilē tantū transfert, cū nostra traditione nihil com-



commune habet; Sed utraq; à se invicē totō cœlo differt, imo et si ex possessione tandem fluat dominium per usucaptionem scil. aut præscriptionē, nihilominus tamen neq; hæc possessio sub nostra traditione intelligitur; Alia enim causa, quā traditio dominium hic transtulit. Neq; inter est, quod intentio tradentis quādoq; sit, quod velit tradere dominium, quoniam hic non apparet, sed verus finis, qui simul ac traditio facta fuerit, obtinetur, spectandus est, Revera enim putativum dominium tradens nihil aliud, quam conditionem usucapiendi tradit, per quam demum beneficio juris civilis non ex traditione, sed usucacione impetratur dominium.

III. Nihil vero interest, utrum vel directum vel utile dominium tradatur, quoniam omnis species dominii, traditionis finis esse potest, & hinc quoq; dominium eminentis princeps in Monarchia, optimates in Aristocracia, & populus in Democratio, qui in tota territoria atq; provincias dominium habent, & in quibus subditi prædia privato jure possident, extraneo Principi tradens vel tradentes dominii hujus eminentis translationem profine habere potest, aut possunt; consulatur de hac re Grotius in tr. de lute B. & P.l.z.c. 6.n.3.

CAP. VI.

## DE MODIS TRADITIONEM PERFI- CIENDI.

Traditio est vel vera vel ficta. Sub ficta continentur, quæ brevi manu fieri solent. Ad Traditionem per Symbolum aliquod expediendam quid requiratur. Ficta traditiones vel commoditatis gratia vel ob necessitatem inventæ. Ad fictam traditionem referuntur quoque ea, quæ in incertam personam fiunt. Item incorporalium rerum traditio. Rerum immobilium. An rerum immobilium iure Saxonico non aliter ex causa traditionis dominium transferat in emptorem, quam si traditio & cessio sive resignatio judicialiter facta fuerit. Clausula.

I. Exponendum nunc est, quomodo restradantur. Traduntur vero vel verè vel quasi. Vera traditio fieri solet in rebus corporalibus mobilibus, quādo res de manu in manum dantur, & hæc nulla difficultate laborat; Ficta verò traditio fieri quidem, etiam potest in rebus corporalibus mobilibus, sed planè

D

alio



alio modo, tertio scil: interveniente, aut planè traditionis actu corporali non intentato. Prior traditio dicitur alias traditio manu longa facta, cuius JCtus Javolenus etiam meminit in l. 79. ff. de solutionibus & liberationibus. Ibi: Pecuniam, quam mihi debes, aut aliam rem, si in conspectu meo ponere te jubeam, efficitur, ut & tu statim libereris, & mea esse incipiat. Nam tum quod à nullo corporaliter ejus rei possessio detineretur, acquisita mihi & quodam modo manu longa tradita existimanda est. Brevi verò manu expeditur traditio, quando debitor, quod creditori debebat dare, voluntate creditoris ex causa alienandæ rei resp: creditoris, alii concedit, testante de hac l. 15. ff. de rebus creditis, qui casus breviter in l. 1. §. 21. ff. de acquir. vel amitt. poss. repetitur. Ita quoq; traditio brevi manu intelligitur fieri, si quis rem suam, quam tibi commodaverit, aut apud te deposuerit, postea ex aliqua alienationis causa tuam esse patiatur §. 44. Inst. b. t. l. 9. §. 5. l. 21. §. 1. de a. r. d. l. 46. l. 77. ff. de rei vindic. l. 9. §. 1 ff. de public. in rem act. l. 62. ff. de erictionib. l. 9. §. ult. ff. de rebus creditis. l. 6. C eod. l. 43. §. 1. ff. de jure dotium.

II. Ita res mobiles quoq; corporales Symbolo aliquo tranduntur. E. g. Si quis merces in horreo depositas vendiderit, simul enim atq; claves horrei tradiderit emptori, transfert proprietatem mercium ad emptorem. §. 45. Inst. de rer. div. l. 74. de contrah. emptione. Requirunt tamen hic Dd. ut ita conspectu horrei aut domus claves tradantur per l. 74. Ubi Papinianus L. 1. definit: Clavibus traditis ita mercium in horreis conditarum possessio tradita videtur, si claves apud horrea traditæ sint. Eadem observantur & hodie in donatione Geradæ; ut sc. in conspectu rei, & coram Notario de hac instrumentum confecturo claves donatario tradantur. Ut testis de ea re est Wesenbec in notis ad Scheiduvvinum supra §. nostrum citatus. Vina quoq; tradita intelliguntur cum claves cellæ vinariæ emptori traditæ fuerint. l. 1. §. 21. ff. de acquir. vel amitt. poss. Porro quoq; si etià fit traditio rei corporalis mobilis, cum res tradenda propter magnitudinem ab accipiente illicò moveri non potest, ubi oculi & affetus sufficiunt, ut: Quando columnæ sunt tradendæ d. l. 1. §. 21. ff. de acquir. poss. Item si quis acerum lignorum emerit, quem etiam



etiam a venditore tollere sit iussus, traditus censetur, si vel demonstretur emptori aut per emptorem acervo posita fuerit custodia l. 51. in pr. de acquir. vel amitt. poss. Sic quoq; ex animo factam fuisse traditionem totius dolii constat, si emptor vinum degustaverit, l. 1. & l. 4. ff. de peric. & com. rei venditæ. Ita etiam consignatio alicujus rei ex animo accipientis & stimanda est, utrum vi illius consignationis tradita res fuerit nec ne. Nam si consignet ideo, ne fortassis alia res submitti possit, consignatio traditionem non inducit v. l. 1. §. 2 ff. de peric. & com. rei venditæ. Si verò dominii impetrandi causa res illa consignata fuerit traditio in effetuim deducta est, uti intelligenda hoc modo venit l. 14. §. 1. ff. d. t.

III. Hivero modi commoditatis gratia inventi fuerunt, ut nempe eò expeditius & facilior ad acquisitionē dominii accipientes pervenire possint. Per compendia enim quod potest tractari non est extendendum per prolixos actus præter necessitatem. Animus etenim hic tradentis & accipientis non externæ ceremoniæ attendendæ veniunt; Cum consensus partium contrahentium uti plurimis juris negotiis, sic etiam traditionibus multum essentiæ tribuat.

IV. Ad istas quasi traditiones quoq; rerum mobilium corporalium quæ per certam & in certam personam fiunt, referunt quoq; communiter Dd. eas traditiones, quæ incertæ personæ conferuntur. Ut sunt missilium jactus §. 46. Inst. de rer. div. l. 2. C. de Consulib. Item res pro derelicto habita. §. 47. Inst. d. t. Ut autem res pro derelicto habeatur, requiritur, ut possessio omissa, & dominium amissum sit, nempe si ea mente abjecta aut neglecta, sit ut in numero rerū amplius habere nolis. Hinc objecū rerum pro derelicto habitarum non sunt res furtuī amissæ, quales sunt res de rheda non intelligentibus dominis cadentes, §. 48. in fine b. t. vel necessitate urgente, projectæ, & dicuntur res, quæ intemperiate navis levandæ causa ejiciuntur d. §. 48. & l. 2. de l. Rhodia l. 8. eod.

V. Tractavimus modos dominium transferendi per traditionem commoditatis gratiâ inventos. Hinc dispicia mus quoq; de modis illis, quæ propter necessitatem rerum alienandarum

ffue.



53  
DOV  
DO  
fuerunt excogitati. Nam quædam res ita comparatae sunt, ut vel tactum nostrum effugiant, (quales sunt res incorporales §. 2. Inst. de reb. corp. & incorp.) quasdam verores tangere quidem possumus, at de manu in manum tradere impossibile est. Et sub his continentur res immobiles. Hinc ne dominiorum permutations in ejusmodi rebus impedirentur, his quoq; consultum fuit, ut ex aliquo privatorum patrimonio exire possint, & in aliud beneficio excogitatæ illius fictionis transire.

VI. Et quod res incorporales attinet, certum est ex l. 1. s. nlt. ff. de servitutib. rusticorum prædiorum. l. 3. in pr. de usufructu modum res incorporales transferendi esse patientiam. In jure enim consistentia, qualia sunt servitutes, obligaciones non aliter ad alium pervenient, quam patientia.

VII. Quod attinet res immobiles, illæ transferuntur per inductionem in possessionem ædium aut permissionem, ut perse quis rem capiat, l. 5. 134. ff. de acquir. poss. l. 2. C. eod. Item instrumenti traditione l. 1. C. de donationib. Investitura, ubi Gothonfredus ad l. 94. ff. de contrah. empt. monet, videndum esse Baldum in l. 20. C. de paet. Illud etiam potest quæri, an hodie Jure Saxonico rerum immobilium dominium non aliter ex causa venditionis transeat in emptorem, quam si traditio & cessio sive resignatio judicialiter facta fuerit. Et affirmativam sententiam non ignobiles juris Saxonici Dd. amplectuntur, ut videre est ex iis, quæ tradit Fachs. Differentiarum juris Saxonici cap. 4. apud Zabell part. 2. differ. 28. n. 11. versu licet a. ut jam dictum est. Reinhard. Lib. 2. diff. 22. Mathæus Colerus de procesi. execut. part. 1. C. 10. n. 198. & seqq. Pro illorum sententia allegatur artic. 9. Landrecht in pr. in verbis: Wer dem andern gelobet ein eigen zu vergeben vor Gericht. Et alias quæm plurimos textus ex dicto Landrecht/quos annotavit Ictus Franskiq; Lib. 2. resol. 12. n. 1. & seqq Ibidemq; diserte comprobant, textis adductos, vel de donatione tantum loqui, vel bonis avitis, & ita eos non esse trahendos ad ceteras species alienationum, quasi sc. etiam judicior teneatur judicialiter abdicare se suo dominio, & contra in eodem judicio omnia iura, omnesq; accessiones quam solennissime tradere. Et hæc erant ea, quæ pro ingenii modulo B. L. de traditionibus tradere volui. Ignoscatur, si humana passus fuero, ad quæ ingenii mei imbecillitas ansam præbuit. Sufficit mihi, quod Deus tribuerit vires, voluntatem meam qualiter qualiter implere, cui etiam gratias ago, & te, optime Lector, pro dexterimo iudicio ex intima cordis abyssō ejusdem proneæ commendo.

F I N I S.







Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-628613-p0034-2

DFG

99 A 6924

ULB Halle  
002 636 603




3

58

W 17







## Farbkarte #13



B.I.G.

is.

B7

Q. D. B. V.  
DISSERTATIONEM JURIDICAM

# TRADITIONE,

Indultu

Magnifici atq; Nobilissimi I<sup>c</sup>torum Ordinis  
Præsidente VIRO

Magnifico, Plur. Reverendo, Nobilissimo atq; consultissimo,  
**DN. QUIRINO SCHACHERO,**  
U. J. D. & P. P. Pandectarum celeberrimo, Serenil. Elect.  
Sax. ab Appellat, Consiliario gravissimo, Consistorii Elect. & Du-  
cal. ut & Facultatis Juridicæ Lips. Seniore meritissimo, &  
Capituli Numburgensis Canonico  
dignissimo &c.

Patrono, Præceptore, atq; Hospite  
æterna animi devotione colendo.

Instituet

Samuel Praße / VVrat. Sil.

A. S. R.

Die 3. Octobr. Anno 1667.

H. L. Q. C.

Lipsia, Literis Bauerianis.

R. D. Philippi.